

edita ad Baptismum ducentur, ubi in Infantibus e contrario sufficit Baptismus, qui omnia necessaria perficit, etsi sensuali quadam perceptione id non advertant aut adstantes, aut ipsi etiam Infantes. Oeconomia enim illa, quam Spiritus S. in tennellis cordibus suscipit, ex omnium Orthodoxorum confessione omnem oculorum & rationis sensum longissime fugit & fides nostra *verbo credere*, non vero *rationis dictamen* circa definiendum τὸ πῶς regenerationis *audire debet*. Job. III, 9. seq. Cum igitur idem velint alii, qui affirmativam tuentur & facile largiantur, *poenitentiam cum omnibus suis materialibus non dari in Infantibus*, quæ se exerunt in adultis, sufficit utrinque esse in confesso, quod Spiritus S. non modo per baptismum, quo infantes regenerantur & fide donantur, verum etiam post eum per verbum in iis operetur contritionem, sui quidem generis, eam tamen veram in aversione directa peccati consistentem, quam deinceps fiducialis inclinatio ad objectum salvificum excipit: ita ut integra nihilominus poenitentia sit, quæ in Infantibus quoque lactentibus a Spiritu S. producat, perinde ut placent Deo laudes ex ore tam tenello proficiscientes, neque frustra præceperit Joël, ut in congregationem publicam etiam deportentur Infantes, cum ipsi etiam partem ecclesiæ, eamque non prorsus postremam, conficiant.

§. XIX. Unum superest, quod vel tribus, ut ajunt, verbis expediemus. Sedere Calvinianis hunc errorem, certissimum est, quod fidem Infantum negant. Non est itaque, cur miremur, MARESIUM & plures alios poenitentiam quoque infantibus denegasse: Mireris vero eo magis, quomodo salva sua hypothese inter se digladiantur, & quod MARESIUS negat, ARETIVS affirmare non vereatur.